

assueverit oportet: vel cum *Bonfrerio* (1) dici poterit, ob iram vehementem, quae eum quodammodo excaecaverat, factum esse, ut audiens asinam loquentem non expaverit, aut obstupuerit, immo ei etiam animus ad respondendum fuerit.

43. **QUAERES XXXI.** *Utrum credibile sit, quod Deus (uti Num. cap. 25 narratur) propter fornicationem alicuius israelitae cum scorto madianitide commissam, caedem viginti quatuor millium israelitarum praeceperit, aut approbarit?* Antequam respondeam, observo D. num. de *Voltaire* vehementer dolere, tam multum humani sanguinis fusum, ad noxam unius minime capitalem piandam, ac denique concludere, factum hoc esse incredibile, et librum, qui id refert, alterius quam *Moysis* esse. Ita ille, teste *cl. Weissenbach* (2), ex sententia magistrorum suorum, videlicet *Tindalii*, *Collinsii*, etc. decernit in *Tractatu de tolerantia*, et alibi. Cui paucis R. Caedes illa tot hominum longe aliter in *libro Numerorum* narratur; prout legenti citatum caput 25 ad oculum patebit. Non enim ibi dicitur tot homines caesos unius israelitae caussa, qui ad scortum divertisset. Minime. Sed illud apertissime declaratur, tam multos homines neci datos, quod omnes scelus idololatriae cum publica libidine, et offendiculo aliorum coniunctum, *per se ipsi* admisissent. Porro, quod alterum spectat, id genus facinoris non esse capitale aut tam grande nefas, ut morte sit piandum, id unum observasse sufficiat, alia esse iudicia Dei, alia hominum, maxime *Voltairii* eiusque similium, qui flagitia, quaecumque cum venere coniuncta inter noxas leviores,

cui data sunt: ut s. *Paulus*, I. Cor. c. 15, v. 1, 2, 3, recte monet.

(1) *Comment. in Num. 22, v. 28.*

minoraque piacula computare, ne dicam ipsis recte factis adnumerare solent. At profecto, cum divinus Iudex potissimum ob vitium carnis fere totum humanum genus universali diluvio deleverit, Sodomam pluvia ignis et sulphuris exusserit; immo ob culpam respective levem et alienam Davidis populum suum numerantis 70 millia virorum pestilentia et vivis sustulerit; quid mirum, quod 24 millia israelitarum ob scelus idololatriae cum luxuria coniunctum exterminari voluerit? Legantur interpretes *Lorinus*, *Bonfrerius*, *Cornelius a Lap.*, *Calmet* in hunc Scripturae locum, et cessabit admiratio.

44. **QUAERES XXXII.** *Utrum verisimile sit, quod a caesis madianitis ingens illa praeda quae Num. cap. 31 describitur his verbis: FUIT AUTEM PRAEDA, QUAM EXERCITUS CEPERAT, OVIVM SEXCENTA SEPTUAGINTA QUINQUE MILLIA, BOVM SEPTUAGINTA DUO MILLIA, ASINORVM SEXAGINTA MILLIA ET MILLE: ANIMAE HOMINVM SEXUS FAEMINEI, QUAE NON COGNOVERANT VIROS, TRIGINTA DUO MILLIA, reportata fuerit?* R. Equidem quam plurimum sibi tribuit *Voltairius* in *evangelio rationis in tractatu de tolerantia*, et alibi propter narrationis huius biblicae perspectam plane (ut ille blasphemat) absurditatem. Quoniam vero non est operae pretium ad singula eius in hunc locum Scripturae maledicta pluribus respondere, compingamus ea in cumulum, et quam brevissime fieri poterit, hominem expediamus.

Itaque **OPPONIT I.** Non est credibile, quod tam copiosa praeda in castris madianitarum reperta sit. R. Sacer textus non dicit, hanc praedam de solis castris, sed ex

(2) In nova forma theol. biblic. tom. 1, p. 203.

tota provincia madianitarum devicta, occupataque abactam esse. Sic enim cit. loc. v. 7 et sequentibus dicitur: *Cumque pugnassent contra madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt.... caeperuntque mulieres eorum et parvulos, omniaque pecora, et cunctam suppellectilem, et quidquid habere potuerant, depopulati sunt, tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit. Et tulerunt praedam, et universa, quae caeperant, tam ex hominibus quam ex iumentis.*

OPPON. II. Terra Madian non extenditur ultra octo vel novem leucas; ergo incredibile est, hanc ingentem praedam ibi factam esse. R. Vicini eius regionis, nimirum *Iosephus Iud.*, *Eusebius*, *Hieronymus*, quando de Madian loquuntur, altum silent de dimensione huius provinciae, a *Voltairio* adserta. Hodie post tot vicissitudines rerum dictae terrae fines accurate non possunt definiri. Sufficit autem Scriptura, quae reges vel principes quinque regionis Madian numerat. Ait enim hoc ipso capite v. 7 et 8. *Cumque pugnassent (israelitae) contra madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt: et reges eorum Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis.* Adde, quod alibi (1) Scriptura dicat, a madianitis israelitas dura servitute septem annorum fuisse oppressos: *Fecerunt autem filii Israel marum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis. Et oppressi sunt valde ab eis.* Ex quo iterum patet, quod madianitae tunc fuerint copiosa et potens natio. Caeterum, quod regio 8 vel 9 leucarum valde magnum incolarum numerum (et maiorem, quam loc. cit. I. Numer. adseritur)

(1) *Iudic. c. 6, v. 1 et 2.*

(2) *Commentar. in Ezech. c. 23.*

cipiat, nonnullis exemplis illustrari posset, praecipue romanorum, qui sub rege *Servio* supra ducenta millia hominum numerabant, cum tamen eorum regio vix 8 leucas quadratas aequaret. Vid. *Guénée*, *Lettre VII de quelques juifs portugais et allemands.*

OPPON. III. Terra Madian infrequens est, sterilis et petris horrens: ergo manet argumentum. R. Hodierna regionis Madian infrequentia est fatum commune cum optimis Asiae provinciis, turcarum sultano subiectis, quas non obstante turcarum polygamia hodie infrequentes esse, periti testantur. Ex hoc tamen neutiquam sequitur, easdem olim fuisse tam infrequentes, et parum populosas. Ceterum habet quidem terra Madian petras et montes, sed pingues illos, et ut plurimum ita fertiles, ut planitiem ipsosque agros foecunditate superent. Certe *Thomas Schaw* doctissimus medicus anglus, in *itineribus per varia loca Barbariae et orientis* id affirmat de plerisque iugis et editioribus terris tractuum illorum. Atque hoc ipsum etiam inde colligitur, quia teste s. *Hieronymo* (2) et *Adrichomio* (3), regio Madian *habet camelorum, ovium, caprarumque multitudinem, atque his opibus fere vitant incolae;* quod sane magnam illius regionis fertilitatem indicat.

OPPON. IV. Regio Madian octo tantum leucarum spatium continens tantam copiam hominum et iumentorum, quanta in illa praeda fuit, non capit: minus alit; ergo. R. I. Solutio huius obiectionis facile colligitur ex paulo ante dictis, praecipue **OPPON. II. et III.** R. II. Si usquam alibi, hic certe sua *Voltairium* philosophia longissime destituit. Loquamur primum **DE INCOLARUM NUME-**

(3) In theatro terrae sanctae, in tribu *Ruben*, et confiniis eius, n. 43.

ro, et sumamus quae probabilissima sunt, I. numerum foemellarum, quod ubique terrarum usuvenire comperimus, notabiliter excedere numerum masculorum, servareque illum numerum ad hunc rationem 4, 3, 2. Numerum innuptorum ad numerum omnium incolarum esse, uti 1, 3 (1). His suppositis, cum sacer textus commemoret, foemellas innuptas in terra Madian fuisse 32000, per consequens dati fuerint masculi pariter innupti 24000. Et hinc summa innuptorum 56000, atque adeo summa omnium incolarum 168000: quot nempe vel inter nos reperire hodie est in unica civitate nec maxima, nec populosissima (2). Demus autem (quod nimis liberale est), terram Madian, etsi s. Hieronymus, aliique (3) eam a fertilitate tantopere commendent, tantam tamen fructuum copiam sinu suo progerminare haud potuisse, quanta tot incolis alendis sufficeret, quos tamen lacticiinis potissimum vitam sustentasse, ex *Adrichomii*, aliorumque probatissimorum scriptorum testimonio (4) compertum habemus. Quid inde consequitur? Num illud, quod tantus numerus incolarum in terra Madian non potuerit subsistere? Minime id quidem. Numquid enim ex finitimis regionibus amalecitarum, aliarumque orientalium nationum (5) eo comportari frumenta, ceteraque ad vitam necessaria non potuerunt? Numquid hodie helveti, tyrolenses, aliique passim monticulae tali subsi-

(1) Quamvis in nostris regionibus plures soleant esse innupti, quam nupti; tamen ex nimia liberalitate ponimus, in terra Madian (ubi probabiliter plerique iuvenes et puellae, quamprimum nubiles facti sunt, nupserunt) triplo plures fuisse nuptos et nuptas, viduos et viduas, quam innuptos et innuptas.

(2) Nam in populosissimis urbibus longe maior datur hominum numerus.

dio exterorum non victitant? An id fieri non facillime potuit commutatione pecorum aut mercium, cum madianitas hos, sicut illos, quibus Ioseph a fratribus suis venditus est (6), mercaturam exercuisse perquam verisimile sit? Adde multitudinem pecorum, de qua iam supra (7) locuti sumus, et mox iterum dicemus, et quorum carnibus pars incolarum magna sustentari potuit. Ut adeo *Voltairius* necesse non haberet in tanta ovium, boum et asinorum multitudine, etiam hircocervos venari. Sed DE PECORIBUS terrae Madian loquamur.

Quod si *passum* geometricum 5 pedibus, *leucam* 2400 passibus censeamus, et terram Madian, ad quadratum reductam, ad octo duntaxat leucas cum *Voltairio* extensam sumamus, subducto rite calculo reperietur, eam 207900 iugera complecti, quorum quodlibet 40000 pedibus quadratis constabit. Demus insuper, tractus a madianitis habitatos, strata viarum, vada et ripas fluminum etc., iugera omnino 7900 continere, quae in computum non veniunt. Restabant nihilominus iugera *fertilia* 200000.

Quod si vero *leucam* gallicam cum astronomis 3000 passuum censeamus, continebit terra Madian iugera omnino 360000, demptisque infertilibus 60000 iugeribus, habebit iugera *fertilia* 300000. Si ergo comparatio instituat inter regionem nostram, et illam madianitarum multo sane fertiliorem, perspicuum

Sic Londini incolae numerantur circiter 960,000, Parisiis 800,000, Viennae Austriae in urbe et suburbis 500,000.

(3) Vide solutionem praecedentis objectionis.

(4) Ibidem.

(5) Vide Iudic. c. 6, v. 3.

(6) Genes. c. 37, v. 25 et 28.

(7) Vide solutionem praeced. obiect.

est, eam pecorum multitudinem, quam sacer textus Numer. 31, v. 32 et sequentibus apud devictos madianitas inventam commemorat, ali omnino, sustentarique in illa regione potuisse. Sunt enim in vicinia nostra praedia, quae ex 100 circiter pratorum iugeribus, quae bis in anno tondentur, alunt oves 300, vaccas et boves 80, equos 14, porcos 60. Facta igitur proportione, si 100 iugera pratorum sufficiunt

	ovibus 300
alendis	bobus 80 tunc in ea-
	equis 14

dem nostra regio- } ovibus 900000
ne sufficient iugera } bobus 240000
300000 alendis } equis 42000
Facta ergo hypothesi nimis liberali, qua ponimus 1. terram Madian ad octo solum leucas extendi (1); 2. Unum iugerum 40000 omnino pedes quadratos continere, cum tamen in nostris partibus saepe non plus, quam 30000 pedes quadrati iugero tribuantur; 3. Regionem nostram terrae madianitarum fertilitate aequiparandam, sequitur, regionem madianitarum, *ultra* numerum pecorum, quem sacer codex commemorat, alere potuisse oves omnino 225000: boves 168000, substitutis, pro 61000 asinis, 42000 equis, quem defectum, si tamen aliquis esse censeatur, *Voltairio* insigni porcorum grege cui insuper nutriendo regio illa nostra sufficit, possumus compensare. Igitur omnibus consideratis, impossibilitas

(1) Ipse *Voltairius* alibi, nempe in philosophia histor. articulo: *Sacrificia humana*, terram Madian ad novem leucas extendit, teste cl. *Weissenbach*, in forma theol. bibl. tom. 1, pag. 207.

(2) Teste *Calmeto* et *Bonfrerio* com. in Num. c. 22, regio Madian est duplex. Una est illa Madian, cuius mentio fit Exod. c. 2, v. 15, quo et *Moyses* occiso aegyptio profugit, quaeque sita est ad mare rubrum, et monti Sinai vicina; quocirca

ista, quam *Voltairius* somniaverat, in terra Madian collocandi et alendi adsertam a s. codice in illa praeda hominum et iumentorum copiam, extra unius illius hominis insanum caput nusquam reperitur.

OPPON. V. *Moyses* in suum socerum *Iethro* madianitam, a quo beneficiis maximis erat affectus, ingratis fuit, populares eius omnes nimirum madianitas excindendo. R. Si socer *Moyses*, qui prope mare rubrum habitabat, etiam ipse pertinuit ad hos madianitas, de quibus hoc loco sermo est, regio Madian iam non ad octo (ut *Voltairius* asserit), sed ad quinquaginta leucas extendebatur. Si vero (id quod probabilius et satis certum est) ad alios madianitas (2) regione longe diversos pertinuit, frustra *Moysi* vitium ingrati animi obiicitur, ut consideranti patet. R. II. Non *Moyses*, sed Deus imperavit excidium illius impiae gentis, quae israelitas seduxerat, prostituendo eis filias suas, ad fornicationem et ad idololatriam *Beelphegar* (3). Unde Numer. cap. 31, ubi illa caedes madianitarum, et praeda ab eis relata narratur, statim v. 1 et 2 dicitur: *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: ulciscere prius filios Israel de madianitis, etc.*

45. QUÆRES XXXIII. An odium hebraeorum erga chanaanæos, quale Numer. 33, v. 50 et sequentibus, velut a Deo israelitis praeceptum, describitur, fuerit iustum et licitum?

et iuxta Sinai montem pascebat fugitivus *Moyses* greges *Iethro* soceri sui, alio nomine *Raguel* vocati. Altera vero Madian est regio a mari rubro et monte Sinai remotior, moabitibus contermina, et sita in Arabia Petraea. Atque de hac terra Madian Num. c. 31, sermo est, ubi narratur illa caedes madianitarum, et praeda ab iis relata.

(3) Vide n. 25, v. 1, 2, 5, 6, 17 et 18, cum com. *Calmeti* in hos versus.

Antequam respondeam, observo, quod odium humani generis iam inde a multis saeculis scriptores antiquissimi iudaeis exprobrarint. Quos inter Tacitus (1) diserte affirmat, quod ipsis *adversus omnes alios hostile odium sit*. Multo plures aetate nostra id ipsum iudaeis exprobrant. Quos inter Christianus Edelmann et Voltairius cum anglis quibusdam hac de causa plane execrantur hebraeum genus; immo ex Moyse tyrannum effingere modis omnibus adlaborant. Sed contra hos, aliosque praecones *tolerantiae*, R. et ita statuo. Odium hebraeorum, vel potius eorum severitas adversus chananaeos in sensu mox explicando (2) licita ac iustissima fuit. Nam chananaei a Deo, supremo rerum omnium Domino, anathemati erant devoti; cum quibus nullum sive foedus, sive pacem licebat sancire. Cesset ergo omnis disputatio necesse est, quando Deus ipse hebraeis, velut licitoribus suis volebat uti ad istos sceleratos excindendos. Verum huic nostrae probationi non acquiescunt adversarii, sed sequentia argumenta opponunt.

ARGUMENT. I. Moyses ubique solitus est, suam voluntatem sub praetextu divini imperii hebraeis inculcare, ut nimirum suae ambitioni, et crudelitati indulgeret. R. Moysen non fuisse ambitiosum et crudelem tyrannum, iam alibi (3) pluribus demonstravimus, quibus adde testimonium libri Ecclesiastici (4), ubi de Moyse ita perhibetur: *Dilectus Deo et hominibus; cuius memoria in benedictione est*. Et iterum: *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni*

(1) L. 5 Historiarum, c. 5.

(2) Vide solutionem sequentis argumenti secundi adversariorum.

(3) Vide supra num. 51.

carne. Nempe nulli sciebat irasci, praeterquam Dei causa. Maledictis, atque iniuriis sibi illatis rependebat beneficia et preces: imo pro salute inimicorum devovebat se ultro (5), vitamque offerebat, ad illos poenis ac internecioni eripiendos. Haec autem, ni fallor, non sunt hominis ambitiosi, cruenti, atque tyranni. Certe tyranni non solent esse *dilecti Deo et hominibus*, eorum memoria non est in benedictione, non sunt *lenes* et *hominum omnium mitissimi super terram*, prout iterum alibi, nempe Numer. 12, v. 3 de Moyse dicitur: neque pro hominibus sibi molestis aut adversantibus devovent sese, neque iniurias benefactis ulciscuntur.

ARGUM. II. Hebraei erant homines humanitatis omnis expertes, qui ceteris nationibus negarunt communia officia debita ipso iure naturae, et internecinum ac implacabile odium adversus illas fovebant, idque duce et instigatore Moyse: quod plane illicitum ac intrinsece malum est. R. Nego suppositum, quod Deus per Moysen hebraeis iusserit, chananaeos aut alias nationes odio habere. Iussit tantum eos deleri, nullumque foedus sive pacem cum illis sancire, non tamen eosdem odio habere: sicut iudex iubet occidi reum, non tamen eum odit, sed amat; curat enim ut culpam et scandalum a se datum emendet, pro eaque Deo et reipublicae satisfaciatur: sic et miles in bello iusto hostem licite caedit, sed non odit. Est enim executor sui ducis, quasi iudicis. Nam etiam legem veterem praecepisse, ut non solum amici, sed et inimici dili-

(4) Cap. 45, v. 1 et 4.

(5) Exod. c. 52, v. 11, 12, 13, 31 et 32. Item Deut. c. 9, v. 24 et seq.

gantur, patet Exodi 23, v. 4, 5 ubi dicitur: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum, etc.* Item Lev. 19, v. 18: *Non quaeras ultionem*. Lex enim naturae iubet, omnes homines, etiam inimicos, etiam exterarum nationes sine ulla exceptione diligere.

Neque DICAS, post illa verba Levitici: *Non quaeras ultionem*, statim subditur: *nec memor eris iniuriae civium tuorum* (sive ut septuaginta habent: *nec contra filios populi tui furore corriperis*). *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*: ergo hebraeis duntaxat prohibitum erat, odisse amicos et populares suos, non vero gentes exterarum. Hinc Christus ipse Matth. 5, 43 dixit, in lege veteri praeceptum fuisse odium inimicorum: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum*. Ne, inquam, sic ratiocineris. Nam Christus non ait, id dictum esse a lege, sed duntaxat, id dictum esse, nempe non a lege, sed a scribis legem interpretantibus (1). Hi enim ex eo, quod cit. loc. Levit. dicitur: *Diliges amicum tuum* (vel iuxta hebraicum textum, *proximum tuum*), inferebant: ergo odio habebis inimicum tuum. Per amicum autem vel proximum ipsi intelligebant proximum cognomine et gente, puta iudaeum, quasi a iudaeis soli iudaei essent diligendi: ceterae vero gentes, quae ex Abraham et Iacob non sunt prognatae, praesertim chananaeae, odio habendae; qui

(1) Vide Calmet comm. in Matth. c. 5, v. 45.

(2) Commentar. in Matth. c. 5, v. 45.

(3) Chananaeorum scelera fuere idololatria, qua etiam proprios filios igni comburendo diis immolabant, libido nefanda, adulteria, sodomiae, bestialitates, etc. Haec ita abominanda fuerunt, ut terra non potuerit eos amplius sustinere; sed

manifestus est error. Unde Christus apud Matth. cit. loc. v. 44 hunc errorem correxit, legemque explicavit, videlicet per amicum et proximum cit. loc. Levitici intelligi quemvis hominem, etiam extraneum, gentilem et inimicum: omnes enim homines ad invicem proximi sumus in primo patre Adamo, utpote ex eo progeniti, ideoque fratres: et in secundo parente Christo, per quem regenerati sumus ad eandem Dei similitudinem, vocatique ad eandem Dei patris haereditatem in coelis. Ita s. Hieronymus, s. Augustinus, Theophylactus et alii apud Cornelium a Lap. (2).

ARGUM. III. Quod si Deus ipse sic voluit, ut hebraei internecina hostilitate ceteras gentes, maxime chananaeos insectarentur, multo maior difficultas exurgit. Quis enim id credat de illo, qui ipsa bonitas, et nihil agit sine sapientissima causa? R. Dist. Deus est ipsa bonitas, et nihil agit sine sapientissima causa, vel nota nobis vel ignota, concedo. Nobis nota semper, nego. Quamquam non adeo incognita hic est causa. Duae enim praeter alias erant iustissimae causae, ob quas Deus iussit deleri chananaeos. Una istorum populorum horrenda flagitia (3), ob quae meriti sunt penitus excindi et deleri: altera, ne scandalo essent hebraeis, hosque suis idolis ac vitiis polluerent et seducerent. Ob similes graves causas Deus etiam praecepit vindictam su-

eos evomere sit coacta, ut ait Scriptura Levit. c. 8, v. 24 et 25, his verbis: *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego eiciam ante conspectum vestrum. Et quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos*. Vide etiam lib. Sapientiae, c. 12, v. 5, 4, 5.

mi ab amalecitis (1) et madianitis (2).

CAPUT V.

De libro Deuteronomii.

Hic liber ab hebraeis de more a primis huius libri verbis אלה הדברים Elle haddebarim, haec sunt verba, a graecis vero et latinis Δευτερονόμιον Deuteronomium dicitur, hoc est, secunda lex; quia est repetitio legis in Exodo, Levitico, et Numeris contentae, et inculcatio facta a Moyses, aliquibus etiam legibus additis, aut explicatis. Promulgavit autem hanc secundam legem, seu deuteronomium Moyses israelitis sub finem anni quadragesimi itineris per desertum, paulo ante mortem suam, priusquam Iordane transmissio chanaanam terram israelitae sibi vendicarent.

46. QUÆRES XXXIV. An non sit contradictio, dum Deut. 1, v. 1 dicitur: HAEC SUNT VERBA, QUAE LOCUTUS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL TRANS IORDANEM; cum tamen alibi, nempe Deut. 32, v. 52 dicatur, quod Moyses Iordanem non sit transiturus? R. Si D. Bolingbrok (3), qui hoc obiicit, linguam hebraicam bene calluisset, haud dubie perspectum habuisset, vocem hebraeam עבר heber, quam latinus interpres

(1) Exod. c. 17, v. 14, legimus: Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc monumentum in libro, et trade auribus Iosue; delebo enim memoriam Amalec sub coelo. Porro tulit Deus in Amalec tam severam sententiam, eoquod amalecitarum Exod. c. 17, v. 8, immani bello appetissent innoxios vacillantesque hebraeos, et in vocatione sua in terram Chanaan novitios, ut eos a Dei ductu sequendo absterrent, quodque, ut dicitur Deut. c. 25, v. 18, extremos agminis israelitarum lassos, et fame laboreque confectos interfecerint. Ut hinc discamus, quam gravis sit offensa Dei, teneros recentesque dei asseclas ab eius vocatione et sequela, puta, a vera fide, vel religione, statuque perfectionis avertere.

hoc loco per praepositionem trans vertit, idem significare, ac in vicina, iuxta, prope, ita, ut textus hebraicus ad literam sumptus significet: Haec locutus est Moyses ad Iordanem, scilicet iuxta locum, ubi Iordanes traiciebatur; prout Calmet (4) erudite observat. Imo iuxta linguam hebraicam grammaticos (5) memorata vox hebraica seu cis, seu trans denotare potest, prout nimirum contextus exigit. Vertit autem latinus interpres trans Iordanem, quia, ut Cornelius a Lap. (6) ait, respectu terrae promissae sive Palaestinae (iuxta quam Scriptura solet consignare plagas et situs locorum) regio illa, ubi Moyses haec verba ad omnem Israel locutus est, trans Iordanem erat. Hinc eadem regio etiam alibi trans Iordanem vocatur. Sic Num. 32, v. 32 filii Gad et filii Ruben dixerunt: Ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem iam suscepisse nos confitemur trans Iordanem; hoc est, ante transitum Iordanis. Vide Ioannem Lorinum in hunc locum.

47. QUÆRES XXXV. Quomodo explicentur verba Deut. 4, v. 2, ubi Moyses dicit: NON ADDETIS AD VERBUM, QUOD VOBIS LOQUOR; cum

(2) Deus de madianitis vindictam sumi iussit, quia ipsi provocarunt israelitas, prostituendo eis filias ad fornicationem et idololatriam, Num. 25, v. 6, 17 et 18. Item n. 31, v. 1 et 2.

(3) D. Bolingbrok fuit deista, mortuus an. 1751, qui in suis scriptis auctoritatem s. Scripturae religionem revelatam, et christianam impugnat, sed ab aliis, praesertim ab Hervey et Leland refutatus est. Plura de illo refert Paulin. Erdt in der gelehrten Geschichte der christlichen Relig. 2, Bande, § 215.

(4) Commentar. in Deut. c. 1, v. 1.

(5) Vide Ignat. Weitenauer hierolexicon linguarum orientalium p. 240, aut Franc. Haselbauer, Lexicon Hebraico-Chaldaicum, litera y columna 10.

(6) Commentar. in Deut. c. 1, v. 1.

tamen postea Iosue, Iudices, David, Salomon, et omnes prophetae plurima addiderint? R. Moysen loc. cit. non vetare omne additamentum, sed duntaxat additamentum contrarium legi. Igitur ad verbum, idem est quod, contra verbum; sicut Paulus Galat. 1, v. 8 anathema dicit iis, qui aliud evangelizant, praeter id quod ipse evangelizavit, praeter, id est, contra: agit enim de iis, qui iudaismum addere volebant christianismo, et sic evertabant christianismum. Hisce igitur verbis: Non addetis, tantum praecipit Deus per Moysen, ut nihil legi repugnans et contrarium addatur, praesertim quod Beelphegor (de quo sequenti versu tertio sermo est) vel alterius falsi numinis aut idoli cultum inducat. Haec enim nova numina, novamque religionem et ritum sacrorum excludere toto hoc cap. et passim in Deuteronomio intendit Moyses, seu Deus per Moysen loquens. Cum enim hebraei proclives admodum essent in idololatriam et superstitionem ritus gentilium, prohibetur illis tale quid attentare, etiamsi id vellent facere in honorem veri Dei e. g. proles vivas cremare, prout a chanaanais fiebat in honorem falsi numinis et similia. Hinc Deus alibi (1) ad populum hebraeum ait: Cave ne imiteris eas (gentes), postquam te fuerint introeunte subversae, et requiras caeremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istae Deos suos, ita et ego colam.

48. QUÆRES XXXVI. Quomodo hi duo textus, Deut. 12, v. 15: OCCIDE ET COMEDE, SIVE IMMUNDUM FUERIT, SIVE MUNDUM, et Deut. 14, v. 3: NE COMEDATIS, QUAE IMMUNDA SUNT, inter se concilientur? Antequam respondeam, observo, in ve-

(1) Deut. c. 12, v. 50.

(2) Vide Levit. c. 22, v. 22.

teri lege aliqua animalia fuisse immunda absolute, alia secundum quid tantum. Absolute immundum erat, quod nec comedi, nec in sacrificiis immolari licebat. Talia erant lepores, sues, choerogrylli, et alia plura, quae Deut. cap. 14 et Levit. cap. 11 describuntur. Immundum secundum quid erat illud, quod comedi quidem poterat, non tamen in sacrificiis offerri: cuiusmodi erant bubalus, cervus, caprea, oryx et alia, de quibus Deut. 14, v. 5. Item illa animalia, quae munda alioquin, ut capra, ovis, bos, sed macula seu vitio aliquo laborabant, ideoque in sacrificio offerri prohibita, ut si fuerint caeca, clauda, mutila (2). Itaque sensus primi textus est: Occide et comede, sive secundum quid immundum fuerit, sive absolute mundum. Textus hebraeus idipsum innuit, ita sonans: immundus et mundus comedet eam (carnem), sicut capream, et sicut cervum. Sensus vero textus posterioris est iste: Ne comedatis, quae absolute immunda sunt. Ita Menochius et Bonfrenrius.

49. QUÆRES XXXVII. An Deuteronomion cap. 16, v. 2 dicens: IMMOLABIS PHASE DE OVBUS ET DE BOBUS, non contradicat libro Exodi 12 v. 3 et 11, ubi non nisi agnus pro phase immolari permittitur? R. Per phase Deut. 16 non intelligitur paschalis illa victima, quae ad vespeream diei decimaequartae a iudaeis erat immolanda (haec enim debebat esse agnus vel haedulus); sed intelliguntur varia sacrificia, quae septem diebus solemnitatis paschalis fiebant (3). Unde s. Augustinus (4) in hunc locum ait: Quid hic sibi volunt boves? an propter alia sacrificia ipsis diebus azy-morum immolanda? Vide etiam Cal-

(5) Vide n. 28, v. 16-23.

(4) Quaest. 24 in lib. Deuteron.

metum, aliosve interpretes in hunc locum.

50. QUÆRES XXXVIII. *An omnia quae de Palaestina seu Terra sancta in Pentateucho, vel in libro Iosue dicuntur, sint verisimilia? Nimirum I. an mereatur dici SPATIOSA, aut LATISSIMA, prout dicitur Exod. 3, v. 8 et Iosue 13, v. 1, cum tamen s. Hieronymus ipsemet fateatur, eam esse regionem exiguam? II. An verisimile sit, in regione tam exigua ante adventum hebraeorum regnasse TRIGINTA ET UNUM REGES, prout Iosue cap. 12 narratur? III. An tam FERTILIS ET FOECUNDA fuerit Palaestina, prout Deut. 8 v. 7-11, et cap. 32, v. 13 et 14 a Moysse describitur? R̄. Non tantum verisimilia sed etiam vera haec omnia sunt, debito sensu intellecta, et ab homine non obstinate incredulo perpensa. Nam AD PRIMUM dicimus et fatemur quidem, quod Terra sancta sit exigua regio, prout testantur s. Hieronymus, Bochartus, et Adrichomius huius regionis spectatores. Ets. Hieronymus quidem (1) ei a Dan usque Bersabee, id est, secundum longitudinem consideratae assignat duntaxat 160 milliaria, quorum duo et dimidium ferme conficiunt milliariae unius horae, teste Adrichomio: Secundum latitudinem vero s. Doctor tantum numerat 46 eiusmodi milliaria. Guilielmus Postellus (2) ait: *Chananaeorum regio nequaquam Galliam Cisalpinam cum montosis locis aequat. Bonfrerius* (3) Duaci in provincia Flandro-Belgica s. Scripturae professor scribit his verbis: *Itaque, ut concludam, tota terra promissa dimidium nostri Belgii**

(1) Epist. ad Dardanum.

(2) In cosmographiae compendio.

(3) Commentar. in Exod. c. 3, v. 8.

(4) Vide Tirinum com. in Iosue c. 12, v. 24. Et Cornelius a Lap. in Exod. c. 5, v. 8.

non attingit, vix etiam partem tertiam; Arias Montanus, Genebrardus, Abulensis octo, novem, vel decem dierum iter terrae sanctae secundum longitudinem attribuunt (4). Nihilominus erat et dici poterat spatiosa, latissima et magna, non quidem absolute, sed respective, nempe respectu terrae Gessen longe angustioris, in quam israelitae in Aegypto ante exitum suum compacti erant. Dein terra sancta erat spatiosa respectu populi hebraei, qui tunc temporis comparative ad hanc terram fuit exiguus, et ab illa facile capi et ad delicias usque nutririi poterat. Praeterea memorati auctores tantum loquuntur de terra ab israelitis occupata: latior autem fuit iis promissa; sed propter peccatorum suorum magnitudinem illa tota potiti nunquam sunt (5). Denique coelestis patria est satis ampla et spatiosa, quae per terram sanctam praefigurabatur, neque israelitis terrestribus haec gleba primario promissa fuit, sed illa spiritualis et coelestis, cuius typus et figura erat terra promissionis.

AD SECUNDUM R̄. Meminisse oportet ex Aristotele (6), Strabone (7), Plinio (8), et Genebrardo (9), olim reges vocari solitos singularum fere urbium maiorum dominos, maxime si municipia quaedam accessissent. Urbes autem et oppida in Palaestina antiquis illis temporibus erant copiosa. Quamvis enim haec regio non ita magna sit; tamen quia frequentibus et perquam frugiferis montibus vallibusque referta erat, multis alendis urbibus, oppidis et pagis plurimis satis com-

(5) Vide Bonfrerium et Serarium in Iosue c. 4. Et Calmetum in Iosue c. 4, v. 5.

(6) Polit. 5.

(7) L. 16.

(8) L. 6, c. 9.

(9) In psalm. 154.

moda, opportunaque adeo exilit, ut teste Iosepho iud. (1) in sola Galilaea ducentae et quatuor urbes ac vici numerentur. Alibi vero (2) idem scriptor testatur, in singulis Galilaeae urbibus ac vicis etiam minimis reperiri plusquam quindecim millia capitum. Si iam multiplicetur hic numerus colonorum cum singulis urbibus et vicis Galilaeae, erant in sola Galilaea tres miliones et sexaginta millia incolarum. Similia Iosephus scribit de Samaria et Iudaea. Idipsum confirmat princeps Radziwilius, qui terram sanctam ipsemet lustravit, postea testatus, adhuc hodie ex frequentibus civitatum oppidorumque ruinis apparere, eam fuisse populosissimam. NEQUE DICAS, hac in re Iosepho non esse fidem adhibendam, qui utpote iudaeus encomia Palaestinae immodice exaggeraverit. Nam R̄. Quamvis Iosephus alios in sua historia errores contineat, haud tamen verisimile est, quod de integra regione et maxime de Galilaea falsum scribat, cuius ipse incola, imo praefectus fuit, ubi ad initium belli iudaici contra romanos memoranda plurima gessit. Adde, quod haec scripserit ea aetate, qua plurimum aperti mendacii arguere potuissent, siquidem haec confinxisset.

AD TERTIUM responsio colligitur partim ex dictis, partim ex confessione ipsius Rabsacis principis regis assyriorum, et infesti hostis iudaeorum, qui hos ita (3) est allocutus: *Transferam vos in terram quae similis est terrae vestrae, in terram fructiferam et fertilem vini, terram panis et vinearum, terram olivarum, olei ac mellis.* Ergo ex confessione

(1) In vita sua.

(2) L. 5 de bello iudaico, c. 2.

(3) I. Reg. c. 48, v. 52.

(4) Com. in Isai. c. 5.

ipsorum hostium Palaestina erat regio valde fertilis, qualis in libro Deuteronomii describitur. Idem ipso facto testati sunt tot gentes et reges, aegyptii, assyrii, babilonii, qui opulentia et feracitate terrae sanctae invitati, ad eam depraedandam et capiendam toties advolarunt. Accedunt testimonia D. Hieronymi (4) expresse dicentis, *nihil terra promissionis pinguius esse: et illustriss. Radziwili (5) adserentis, tantam esse in Galilaea situs amoenitatem, ut difficulter describi ac verbis explicari possit; soli fertilitatem insignem hinc apparere, quod licet propter incursiones arabum agri non excolantur, optimarum tamen herbarum vim maximam producat.* Item aliorum viatorum testantium, ad hanc usque diem in Palaestina passim mellis et cerae odorem perflare, velut qui ex proximis alvearibus dimanat (6). Denique audiamus Adrichomium oculatum testem et spectatorem huius regionis, qui in praefatione theatri terrae sanctae profatur his verbis: *Terra promissionis — regio est nobilissima Syriae ob singularem autem coeli temperiem, aëris salubritatem, soli ubertatem, pecorum, avium, piscium, frumenti, vini, olei, sacchari, balsami, ficuum, malorum granatorum, herbarum, florum, frugum omnis generis copiam, Dei ore lacte et melle fluere, saepenumero dicta est. Ut partim propter haec, partim propter insignium montium, camporum, fontium, fluviorum, nemorum, urbium, castellorum, pagorum, et hominum frequentiam, ob rerum denique omnium abundantiam, ceu paradisi Domini, ac figura coeli reliquas sub coelo mundi partes longe excellere dicenda sit.*

(5) Epist. 2.

(6) Vide Calmet com. in I. Reg. c. 14, v. 25.

At INQUIES: Palaestina multorum opinione hodie est sterilis, semperque debuit esse talis, cum sit valde montosa, saxisque et montibus instar Helvetiae rigeat, ut *Voltaire* iocatur. Quis ergo credat, infert idem irrisor s. Scripturae, Palaestinam aliquando fuisse tam fertilem, prout a *Moyse* describitur? *¶*. Haec multorum falsa persuasio de terrae sanctae sterilitate pridem refutata est a supra citatis scriptoribus, *Bocharto* (1), *Adrichomio* (2), aliisque testibus oculatis, etsi non negaverim, terram illam hodie multum a pristina bonitate ac fertilitate defecisse. Quid enim mirum, si vel ob neglectum culturae (3), vel ob peccata iudaeorum et saracenorum sterilis effecta est? Fertilitas enim illius tempore veteris legis erat partim naturalis e terrae ipsius bonitate, partim ex speciali Dei providentia continuata, quamdiu ab israelitico studioso cultu honorabatur, ut ex non uno Scripturae loco (4) colligitur. Unde cessante pietate israelitarum, haud mirum defecisse specialem illam benedictionem coelestem ipsorum terram

(1) Part. 2, c. 1.

(2) Loc. cit.

(3) Ferebat Palaestina exquisitos fructus, praesertim postquam hebraei, ac forte iam priores incolae, ope scalprorum montes steriles, atque saxosos secassent scalarum in morem, imo in formam amphitheatri rede-gissent. Porro in plana graduum e locis subiectis acceptam terram transtulerant, illique et vineas implantaverant, et semina commiserant, nam absque tali subsidio industriae, ac speciali cultura nunquam videtur potuisse Iudaea tam multos homines alere; sed nec sine singulari benedictione et liberalitate Dei, quam cultoribus pollicitus est, ut mox dicam.

(4) Deus ipse Deuter. c. 11, v. 10-18, israelitico populo praedixit, terram promissionis ad foecunditatem suam indigere singulari divina benedictione, his verbis; *Terra enim, ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua*

foecundantem. Praeterea aliunde novimus, e praesenti rerum conditione non semper argumentum duci posse ad praeteritum alicuius regionis statum. Saepe enim regio aliqua foecundissima per eluviones, bella, neglectum culturae, aut alias causas seu naturales seu civiles ita devastari potest, ut sibi non amplius sit similis. Sic, ut alia taceam, regio Gazam inter et Aegyptum squallet hodie, tota sterilis, quae suos olim habuit incolas. Uno enim geographorum consensu totus littoris Mediterranei tractus inter Gazam et Pelusium urbem Aegypti ad ostium Nili orientale, et ad Palaestinam adiacentem olim habuit urbes *Raphiae*, *Anthedonis*, *Rhinocolurae*, *Beth Thapuah*, *Ostracinae*: imo nostra etiam aetate plura adhuc manere columnarum et aedificiorum rudera, veteris magnificentiae vestigia, testantur itineraria (5). Sed redeamus ad ipsam Palaestinam. *Hecataeus* (6) vir collectaneus *Alexandri M.*, qui sub *Ptolemaeo I* scribebat, Palaestinam tanquam solum feracissimum, frequentissimumque cultoribus exhibet; uno verbo eam esse

existi; ubi iacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae; sed montosa est et campestris, de coelo expectans pluvias; quam Dominus Deus tuus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni ad finem eius. Si ergo obedieritis mandatis meis, quae ego hodie praecipio vobis... dabit pluviam terrae vestrae temporaneam, et serotinam; ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum; foenumque ex agris ad pascenda iumenta, et ut ipsi comedatis, et saluremini. Cave, ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatque diis alienis, et adoretis eos; iratusque Dominus claudat coelum, et pluviae non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis.

(5) *Thévenot*. itiner. oriental. p. 2, c. 55, et *Petri della Valle*, epist. 15.

(6) Apud *Iosephum* contra *Appionem*.

dicit provinciam optimam ac fructibus omnis generis feracem. Similia ferme habet *Plinius* (1) tradens Ierosolymam urbem esse inclytam non inter iudaicas tantum, sed inter orientales omnes; cursum Iordanis tanquam amnis laetissimi describit; effert lacum Genesaret, et balsamum et palmeta Iudaeae. *Tacitus* (2), *Ammianus Marcellinus*, et veterum plerique, cum per occasionem de Palaestina mentionem faciunt, nunquam vacant a laudibus. *Muhammedani*, quos melius nosse regionem par erat (3), exaggerant quidem aliquanto Palaestinae laudes, sed eximiae eius feracitati luculentum ferunt testimonium. Affirmant praeter duas illas principes urbes *Eliam*, et *Aribam*, i. e. *Ierusalem* et *Iericho* tractum illum disseminatum esse mille vicis amoenissimis, hortis maxime insignibus, ibi maturescere uvae, quarum racemus onus esset quinque hominibus vix ferendum; olim in eo tractu sedes habuisse immanis corporaturae gigantes e stirpe Amalech etc. Ipsi itinerantes recentiores, qui de praesenti terrae sanctae sterilitate testantur, non

(1) L. 5, c. 14, 15.

(2) L. 15, c. 6.

(3) *D. Herbelot* Bibl. oriental. p. 556.

(4) Epist. ad Dardanum.

(5) Prolegom. 41.

negant tamen manere ibi certis in locis vestigia plura veteris fertilitatis, ubi fructus omnis generis benignum solum nulla satum cultura reddit; crescit etiam alicubi luxurians herba. Ex quibus omnibus abunde demonstratur, *Moysem* nullius mendacii aut falsitatis argui posse, dum terram promissionis seu Palaestinam tanquam apprime fertilem et foecundam describit et dilaudat. Caeterum illud denuo monitum velim, Deum promittendo israelitis terram bonam, terram lacte et melle fluentem, primario designasse et promisisse terram viventium in coelis, quae utique est verissime lacte et melle fluens, hoc est, gaudiis superabundans: Palaestinam autem terrestrem tantum designasse secundario tanquam typum et figuram illius coelestis. Ita s. *Hieronymus* (4). Denique observo, quod praeter iam laudatos, aliosque plures scriptores insigne testimonium, de fertilitate terrae sanctae perhibeant *Salmeron* (5), *cl. Bulletin* (6), et *Guénée*, *Epistolae iudaeorum ad d. de Voltaire* (7).

(6) Réponses critiques, pag. 129 et 137, ubi scriptorum veterum ac recentiorum, Palaestinae miram fertilitatem ostendentium, seriem recenset.

(7) P. 5, epist. 2.